

requisitae ad valorem actus. (Bus. ap. S. Alph. n. 179) Attamen si praeditus legitima facultate collationi, electioni, etc. praemitteret (ut fieri solet) absolutionem ad cautelam, valeret collatio, electio, etc. nisi quis excommunicatus sit ob haeresim, quae sub generali absolutione non comprehenditur. (S. Alph. n. 180)

Eadem ratione excommunicatus fit inhabilis ad quaelibet rescripta, sive gratiae sive justitiae, a R. P. obtainenda. (6<sup>i</sup> Decr. l. 1. t. 3. c. 1)

**VI.** Excommunicatio privat **communicatione forensi**, i. e. iis quae ad judicium vel civile vel ecclesiasticum pertinent, qualia sunt munera judicis, advocati, etc. Verum haec privatio in foro civili jam nullum locum habet. In foro autem ecclesiastico eadem viget pro vitandis; pro toleratis vero eatenus tantum quatenus isti, sive ut procurator, sive ut testis, sive ut actor, tum ab adversariis, tum a judge per exceptionem repelliri possunt. (Aichner, l. c.)

**VII.** Excommunicatus vitandus privatur omni **jurisdictione ecclesiastica**, ita ut, in foro tam externo quam interno, acta jurisdictionis ab eo posita sint ipso jure nulla: excipe pro foro poenitentiali casus supra (n. 583) indicatos. Quae vero ab excommunicato tolerando aguntur, puta collatio beneficii, non sunt ipso jure nulla, sed invalida fiunt si contra ipsum excipiatur: sic enim bono communi consulitur, neque ipsis censoratis favor praestatur, juxta Bullam Martini V. (Reiff. l. c. n. 69 seqq.)

**585. VIII.** Excommunicatio certo privat ecclesiastica sepultura vitandos, nisi ante mortem fuerint absoluti vel saltem signa poenitentiae dederint: quo in casu, ritu ab Ecclesia praescripto (Rit. Rom. t. III. c. 4) absolvendi erunt, antequam in loco sacro vel benedicto sepeliantur. Quodsi vitandus imponitens in loco sacro sepultus fuisset, is pollutus esset (n. 242. VI) et cadaver, quatenus fieri posset, eruendum foret.

Excommunicatus toleratus, si occultus erat, certe in loco sacro sepeliri potest; si notorie ut talis cognitus erat, controvertitur. Plures AA., ut Suar. (de Cens. disp. 12. sect. 4. n. 5), existimant eum in loco sacro sepeliri posse, eo quod, sicut jam non prohibemur cum iis viventibus communicare, ita cum mortuis idem possumus. Alii (Bus. ap. S. Alph. n. 186; Reiff. in l. 3. Decr. t. 28. n. 85) posse negant, cum hic prorsus desit ratio licentiae a Martino V fidelibus concessae. Prior sententia sane probabilis et, ad vitanda scandala, hodie in praxi tenenda videtur, nisi aliae rationes ecclesiasticae sepulturae obsistant.

**IX.** Excommunicatio, juxta rigorem Juris, privat quoque **communicatione civili**. (Decr. l. 5. t. 39. cc. 29 et 41) Vid. excommunicati cum

reliquis fidelibus nec contrahere, nec commercia aut negotia habere, nec cum eis cohabitare, convivere, familiariter conversari, officiose colloquivalent, nec fideles cum illis. Attamen, ex hodierna consuetudine, tolerati etiam sponte in civilibus cum reliquis agere possunt. (S. Poenit. 5 Jul. 1867) Quin et pro ipsis vitandis haec poena in desuetudinem abiisse videtur. (Lehmk. II. n. 897; Ball. P. n. 411) Etenim rationes quas antiqui DD. (S. Alph. n. 200 seqq.) afferebant ut ostenderent in pluribus casibus licere hanc communicationem civilem, hodie tam late patent ut eae vix non pro quolibet adsint. Jamvero lex quae communiter jam servari nequit, censenda est vim suam amisisse, etsi ab aliquo in particulari servari possit. (Vol. I. n. 83)

**X.** Praeter effectus supra explicatos, qui dicuntur *immediati*, habet excommunicatio quosdam **effectus mediatos**, quorum praecipui sunt:

1<sup>o</sup> Irregularitas, quae inducitur violatione censurae. Cfr. n. 633. III.  
2<sup>o</sup> Suspicio haeresis, quam incurrit qui per annum in excommunicazione *insorduerit* (Conc. Trid. Sess. 25. de ref. c. 3), seu pertinaciter perseveraverit. Etenim merito censetur contemnere auctoritatem Ecclesiae qui ejusdem poenam praecipuam non curat. Id probabilius restringendum est ad nominatum excommunicatos: effectus enim qui ad forum externum spectat, non videtur extendendus ad eos quos in eodem foro non constat esse excommunicatione ligatos. (D'Annib. I. n. 361. nota 18; Ball. P. n. 371)

### § 3. QUAENAM EXCOMMUNICATIONES HODIE VIGEANT.

**586.** Excommunications l. s. hodie vigentes recensebimus juxta quattuor series in quas, pro maiore vel minore absolvendi facultate, in Bulla *Apostolicae Sedis* dispescuntur. Censuris quae magis ad proxim faciant, addemus brevem explicationem: quam, quatenus fieri poterit, cum ipsis Bullae verbis conectemus. Singulis seriebus subjiciemus excommunications quae a Tridentino latae permanserunt (n. 579. II), vel recentioribus S. Sedis documentis inventae sunt.

## PRIMA SERIES.

**Excommunicatio speciali modo Romano Pontifici reservata ligat :**

## I.

Omnis a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet eorum defensores.

**Apostatas** : Apostasia est totalis defectio a fide, in actu externum prodiens. Cfr. Vol. I. n. 203. Igitur, ut quis apostata censeatur sensu presso et a transitu ad haeresim diverso, necesse est ut fidem christianam totam abneget ita ut jam inter catholicos computari nolit. Nec refert utrum ad sectam aliquam religiosam, puta Mahometismum, transeat, an se ab omni religione alienum profiteatur, ut faciunt sic dicti *liberi cogitatores*. (Ball. P. n. 422) Apostatis tamen minime adnumerandi sunt quicunque in practica *indifferentia* de officiis christiani hominis vivunt. (Piat. Comm. in h. l.)

**Haereticos**. Haec vox designat eos tantum qui externe formalem haeresim admittunt : ejus condiciones explicatas habes Vol. I. n. 203. Nec refert utrum quis haeresim proferat solus an coram aliis (S. Alph. n. 305), utrum verbo, scripto, an facto, ut puta si abdita cordium scire vel futuras hominum liberas actiones, quae soli Deo patent, divinare conatus fuerit per tabulas rotantes, hypnotismum, etc. (D'Annib. Comm. in h. l.), modo haeresim facto implicitam adverterit.

Hinc patet non omnes qui in secta haeretica educati sunt, huic censurae subjacere: siquidem multi numquam formalem haeresim admiserunt. (Vol. I. n. 204. II) **Nihilominus**, cum in foro exteriori praesumantur censurae obnoxii, absolutio a censura conversis ab haeresi, saltem ad cautelam, danda est : quodsi **dubium** est num reapse censuram incurserint, sacerdos formulae **absolutionis** inserat vocem *forsan*. (S. Inqu. 29 Jul. 1859; Schneider, Man. Sac. n. 446) Absolutionem hanc haereticis dare potest episcopus **potestate** sua ordinaria : siquidem potestatem habet absolvendi personas, **quarum** delictum quocumque modo ad forum ejus judiciale deductum fuerit, sive invitae, sive sponte compareant, (Bened. XIV, de Syn. l. 9. c. 4. n. 3) Insuper, in locis praesertim mixtae religionis, ut Stat. Foed. Amer., solent episcopi a S. Sede habere et

passim communicare delegatam ab haeresi aut apostasia absolvendi facultatem. (Sabetti, Th. Mor. n. 977) (1) Cfr. n. 259.

**Eisque credentes**. Non convenient AA. quinam praecise hic designentur. Probabilius haec verba non sunt addita nisi ad omnem dubitationem tollendam de iis qui haeresim implicite tantum profitentur, dicendo, ex. gr. vera esse quae Lutherus docuit, licet in particulari nesciant quaenam illa sint. (D'Annib. in h. l.) Alii (Palm. nota ad Ball. P. n. 422) censem his verbis designari eos qui haeresim tenent, quamvis catholici putentur, neque ulli sectae acatholicae adhaereant. Certum est eos omnes sub hac vel praecedente clausula contineri.

**Eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores**. His verbis designantur ii qui secundario hac censura percelluntur, tamquam criminis haeresis vel apostasiae participes. Hi excommunicati sunt, si hujusmodi participatio formalis est seu tendit ad haereticos vel apostatas juvandos in suo crimen, minime vero si materialiter tantum eorumdem personis auxilium praestant. Sic veri **receptores** haereticorum sunt qui eos in domos suas recipiunt ut haeresis poenam effugiant ; **fautores** qui eis auxilium praestant sive positive, puta liberos in secta haeretica educando vel nomen suum tali sectae dando (2), sive negative, vid. omitendo quod non ex mera caritate, sed ex officio faciendum fuisse ad eorum progressus impediendos ; tandem **defensores** haereticorum sunt qui eorum doctrinas, vel personas, quatenus haereticae sunt, tueruntur. Neque hic refert utrum ii quos ita adjuvant, sint vitandi an tolerati : nam censura fertur propter auxilium praestitum criminis, non autem propter communicationem cum excommunicato. (Suar. de Cens. disp. 21 sect 2. n. 9)

N. B. In quibusdam dioecesisibus, ex. gr. in Mechlinensi, inter casus episcopo reservatos reponuntur haeresis et apostasia a fide. Aliunde prohibiti sunt Ordinarii (S. C. Ep. et Reg. 26 Nov. 1602) ne superflue sibi reservent casus Sedi Apostolicae reservatos. Quare in reservatione episcopali non comprehenduntur nisi casus haeresis vel apostasiae in quibus poenitens ob ignorantiam (n. 570) censuram non incurrerit.

(1) Hujus tenor solet esse : " Absolvendi ab haeresi et apostasia a Fide, et a schismate quocumque, etiam ecclesiasticos, tam saeculares quam regulares : non tamen eos qui ex locis fuerint ubi S. Officium exercetur, nisi in locis Missionum ubi impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses et post judiciale abjunctionem, illuc reversi in haeresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum. "

(2) Ita Card. Vicarius (12 Jul. 1878) Instruct. pro Urbe Romana declaravit excommunicationem hanc incurrire eos " qui, etiamsi animo haeresi non adhaereant, sese vel nomine tenus adscribunt sectae, cujuscumque sit ea nominis, haereticae vel schismatica, quacumque de causa id fiat. "

## II.

Omnis et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, ne non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos: eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendantes. (1)

**587. Scienter.** Vox ista, cum in fronte totius sententiae posita sit, afficit non tantum lectionem, sed et tres alias actiones sub censura prohibitas, videlicet retentionem, impressionem et defensionem. Itaque ad censuram incurriendam requiritur ut cognoscantur tum prohibitio, tum censura adnexa; excusat vero, saltem probabiliter, quaelibet ignorantia, etiam affectata. (n. 570. II)

*Eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes.* His verbis indicatur prior et praecipua series librorum qui hodie sub censura vetantur. Hi libri debent prae se ferre tres condiciones: prima, ut sint apostatarum vel haereticorum; altera, ut haeresim contineant; tercya, ut eamdem propugnent. Hinc non prohibetur sub excommunicatione liber qui haeresim tantum contineat, vel non nisi obiter, paucis et quasi aliud agens defendat (D'Annib. Comm. in h. l.); neque liber qui haeresim quidem propugnet, sed conscriptus sit ab ethnico, Judaeo, aliove qui proprie neque haereticus, neque apostata sit. Idem videtur dicendum de libro qui conscriptus esset ab iis qui haereticis vel apostatis crederent, non tamen formaliter haeretici vel apostatae essent. Igitur, si quis, antequam legat librum in quo haeresis propugnatur, nescit auctorem esse haereticum vel apostatam, excommunicationem non incurret, nisi ex ipsa lectione manifestum fiat haeresim vel apostasiam pertinaciter propugnari, ideoque auctorem vere haereticum vel apostatam esse.

*Libros.* Hoc nomine veniunt etiam publicationes periodicae, in fasciculos ligatae, ut declaravit S. Inqu. 13 Jan. 1892. (Coll. P. F. n. 1892) Non videntur tamen comprehendendi manuscripta vel libelli non periodici molisque tam exiguae ut numquam libri nomine proprio designentur: de quo cfr. Vol. I. n. 454. Idem dicendum de ephemeredibus haeresim propugnantibus, quia nequeunt proprio dici *libri*: quae vox sola in tenore censurae adhibetur. Etenim S. Inqu. interrogata: "An scienter legentes ephemeredes propugnantes haeresim incurvant excommunicationem

(1) Eundem tenorem servavit Leo XIII in Const. *Officiorum ac munierum* (a. 47), qua novas regulas de prohibitione librorum promulgavit. Cfr. istius Const. explicationem Vol. I. n. 451 seqq.

a. 2. Const. *Apost. Sedis S. P.* speciali modo reservatam „, 21 Apr. 1880 respondit: "Negative." Cfr. Penn. Comm. t. II. p. 620.

*Necnon libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos.* His verbis determinatur altera series librorum hodie sub censura prohibitorum. In his etiam libris tres debent concurrere condiciones: 1<sup>o</sup> Ut fuerint prohibiti per Litteras Apostolicas, i. e. per documentum ab ipso R. P. non autem a Congr. Rom. emanatum, seu in forma Bullae, seu in forma Brevis. — 2<sup>o</sup> Ut in hoc documento libri fuerint expressi *nominatim*, i. e. per proprium titulum. Non comprehenduntur ergo libri qui tantum expresso auctoris nomine damnati sunt: nam, ex usu recepto, non dicuntur nominatim damnati. (Penn. I. p. 126) — 3<sup>o</sup> Ut damnati fuerint in eodem documento sub poena excommunicationis R. P. reservatae. Hinc a praesenti serie excluduntur libri, etiam nominatim a S. Sede damnati, sed nulla censura adnexa, ex. gr. opus famosi de Lamiennais "Paroles d'un croyant," a Gregor. XVI (Encycl. *Singulari nos*, 25 Jun. 1834) reprobatum; vel damnati quidem sub poena excommunicationis, sed nulla addita reservatione. Ratio hujus conditionis, quam communissime ponunt Bullae *Ap. Sedis* interpres, desumitur ex ejusdem scopo, videlicet moderandi censuras, nedum novae addantur vel existentes strictius reserventur. Exemplum librorum in quibus tres istae condiciones verificantur, habes in quibusdam operibus Joann. Nuytz, in Regio Taurinensi Athenaeo olim professoris, quae damnavit Pius IX Brevi *Ad Apostolicae*, 22. Aug. 1851. (Penn. I. c. p. 123)

*Legentes, retinentes, imprimentes et quomodolibet defendantes.* Quo sensu haec quattuor lege ecclesiastica prohibeantur, dictum est Vol. I. n. 455 seqq. Manifestum est non incurri censuram nisi grave peccatum commissum fuerit lectione, retentione, etc.

## III.

*Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.*

**588. Schismaticos.** Hoc nomine, quatenus a sequentibus verbis distinguitur, veniunt ii qui non tantum a R. P., tamquam Ecclesiae capite visibili, separantur, sed coetus ab unitatis centro separatos, ex. gr. ecclesias nationales, constituant vel ingrediuntur. Hi fere semper adnumerandi sunt haereticis, eo quod aliquam fidei veritatem simul negant, puta primatum Rom. Pontificis, ut Russi schismatici, vel ejusdem infallibile magisterium, ut qui se veteres-catholicos mendaci nomine jactant.

*Et eos qui... recedunt.* His verbis idem peccatum schismatis seu separationis ab unitate Ecclesiae Catholicae exprimitur, sed clarius indicatur hac censura plecti etiam eos qui nullum coetum separatum constituant vel ingrediuntur. Ex ipso tenore censurae patet comprehendi eos, qui *Rom. Pont. pro tempore exsistenti* parere nollent, etiamsi promitterent se ejus successori parituros esse. Non comprehenduntur vero qui, etiam habitualiter, posthabent specialia mandata R. P. eo quod res praescripta iis displicet. Plerique interpretes, ut Avanzini, D'Annib., Ball. P. (in h. l.), censem schismaticos esse catholico-liberales, qui nempe, posthabitatis R. P. mandatis, publice se gerunt tamquam ab ejus oboedientia solutos: quod verum esse opinamur si reapse animum pertinacem gerunt detectandi oboedientiam R. P. in his, quae ad relationes Status cum Ecclesia pertinent. Sed saepius videntur, praejudiciis abrepti, mandata S. Sedis tamquam suis placitis contraria violare, fere ut alii neglegunt jejunia, Missam, etc. Cfr. Vol. I. n. 205.

## IV.

Omnis et singulos, cujuscumque status, gradus vel condicionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore exsistentium ad universale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, consilio et favore appellatum fuerit.

## V.

Omnis interficiens, mutilans, percutiens, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis dioecesis, territoriis, terris seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes seu rata habentes seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

## VI

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes aut auxilium vel favorem praestantes.

**589.** *Impedientes* ii sunt qui ponunt obstaculum quo reapse fiat ut clericus jurisdictionem suam exercere non possit, sive auctoritate publica pollent, sive non. Hi *directe* impedit, quando vim, minas, etc., exercent in eum ipsum qui jurisdictione uti velit, et praecise ad obstantum rei quam is facere intendat, ut ecce si minentur necem episcopo si

beneficium contulerit Osio; *indirecte*, quando obstant in alia re vel in alia persona, veluti si ei necem minentur praetextu *injuriae* sibi illatae; si prohibeant scribas vel alios curiae ecclesiasticae addictos ea obire quae sui muneris sunt. (D'Annib. Comm. n. 58)

*Exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, sive interni, sive externi fori.* Harum vocum significationem habes n. 324. **II.** Exemplo sint qui impedit parochum quominus moribundum adeat, confessionem ejus excepturus; qui impedit executionem scriptorum S. Sedis; qui Seminaria civili jurisdictioni subjiciunt, etc. *Impedientes* exercitium ordinis huic censurae subjacere negat D'Annib. (n. 56); sed rectius distinguitur inter casus in quibus exercitium ordinis nullam jurisdictionem supponit, ex. gr. si simplex sacerdos a Sacro celebrando impediatur, et casus in quibus jurisdictione fori interni una cum ordinis potestate exercenda prohibetur, ex. gr. si parochus a celebranda Missa pro grege suo impediatur. (Penn. I. p. 249 seqq.)

*Et ad hoc...* Particula et hic disjunctive pro *vel* sumenda est, ac proinde ad censuram incurrendam sufficit impedire jurisdictionem ecclesiasticam, mediante recursu ad forum saeculare. Ita opinantur omnes hujus Const. interpretes, tum quia novus personarum ordo inducitur, tum quia duae istae partes clare separantur in Bulla Coenae, ex qua praesens censura desumpta est.

*Recurrentes ad forum saeculare.* Fori saecularis nomine certo veniunt ii qui potestatem judicariam exercent. Quare isti censurae subjacent qui jurisdictionis exercitium impedit per famosam appellationem *ab abusu*, etiamnum in Gallia usitatam. Verum probabiliter a censura excusantur qui non ad judices recurrent, sed ad ceteros magistratus qui *forum* non habent, ut puta praefectos *urbium*, magistros militum, etc. Praecipuus hujus interpretationis patronus est D'Annib. (n. 60) Alii vero, ex. gr. Pennacchi (I. p. 253), per *forum saeculare* intellegunt quamlibet potestatem saecularem, sive legislativam, sive administrativam, sive judicariam: quia ista verba opponuntur verbis *jurisdictionis ecclesiasticae, sive interni, sive externi fori*, ubi forum profecto designat quamlibet ecclesiasticam potestatem. Atque hanc interpretationem veriorem ducimus.

*Eiusque mandata procurantes.* Probabilius igitur non sufficit recurrente, sed necesse est ut simul mandata fori saecularis reapse procurantur. Quare, si judex non ad instantiam recurrentis, sed *ex officio* expediat mandatum, recurrentis excommunicationem effugiet. (D'Annib. I. c.)

*Edentes* ii tantum sunt qui mandata fori saecularis condunt, non autem qui ea exscribunt, proclaimant, etc.

*Aut auxilium vel favorem praestantes.* Cfr. dicta n. 586. Juxta